



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum  
Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ  
Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita**

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus de Conscientia, de Legibus, de Peccatis, de Virtutibus  
Theologicis, de Religione, & Beneficiis. Adjunctis in hac editione  
Propositionibus ad hanc usque proscriptis

**Antoine, Paul-Gabriel**

**Ingolstadii, 1734**

**VD18 90392140**

Q. 2. An ad Simoniam requiritur intentio formalis, dandi vel accipiendi rem  
temporalem ut pretium rei Spiritualis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40986**

*Not.* Allata definitio strictè est simoniae juris divini, non simoniae juris Ecclesiastici saltem omnis; nam non convenit simoniae, quæ reperitur in permutationibus, & resignationibus factis sine auctoritate Superioris citra temporale pretium. Sic autem potest generatim simonia omnis definiri: quævis pactio, datio & acceptio rei spiritualis, vel spirituali annexæ, lege prohibita ob reverentiam rei Sacrae. Porro id in spiritualibus est simonia, quod in temporalibus usura; & sicut datur usura palliata, ita & simonia.

*Q. 2. An ad simoniam requiritur intentio formalis dandi, vel accipiendo rem temporalem ut pretium rei spiritualis?*

*Resþ. Neg.* Sed sufficit voluntas dandi, vel accipiendo spirituale non gratuitò, sed pro temporali, sive ut pretio, vel compensatione, sive ut motivo saltem principali. Item sufficit intentio virtualis emendi, vel vendendi, seu commutandi spirituale pro temporali, inclusa in voluntate obtinendi spirituale per temporale, & vicissim.

*Prob. Quia I.* Simon magus Act. 8. damnatur quod præcisè obtulisset pecuniam eo fine, ut acciperet potestatem conferendi spiritum Sanctum, & quod existimat donum Dei pecuniâ possideri, hoc est,

est, acquiri per pecuniam. 2. cap. 34 de Si-  
mon. dicitur simoniæ reus, qui sine ullo  
pacto donationem facit eâ intentione, ut  
per temporalia bona, quæ offert, spiritualia  
valeat adipisci. & Conc. Gener. Later. 1.  
cap. 1. prohibet ordinari quemquam per  
pecuniam, vel promoveri. & Conc. Gener.  
Later. 2. cap. 2 vetat Beneficium, vel ali-  
quid spirituale per pecuniam acquiri cap.  
1. item cap. ex multis 1. q. 3. dicitur:  
Chalcedonense Concilium. *Condemnat*  
eos, qui Ecclesia Beneficium interventio  
pecuniae acquirunt. 3. Innoc. XI. damna-  
vit hanc propos. *Dare temporale pro spi-  
rituali non est simonia*, quando temporale  
non datur tanquam pretium, sed dunta-  
xat tanquam motivum conferendi, vel ef-  
ficiendi spirituale, vel etiam quando tem-  
porale sit solum gratuita compensatio pro  
spirituali, aut econtra. 4. Per hoc tra-  
ctatur res spiritualis ut commutabilis, &  
comparabilis re temporali, non ut donum  
gratis dandum & accipiendo contra illud  
Christi, gratis accepistis, gratis date. 5.  
Tunc moraliter loquendo, & in æstimatio-  
ne prudenti tempore re ipsa se habet ut  
pretium, cum non detur alio titulo, quam  
ad obtainendum spirituale, nec conferatur  
spirituale nisi ad tempore consequendum.  
Sicut enim dans munus judici ut motivum  
ad obtainendam sententiam iniquam dici-  
tur

tur emere justitiam; & judex illam ferens propter munera accepta dicitur vendere justitiam: ita qui dat temporale, ut moveat alium ad dandum Beneficium, emit virtualiter Beneficium; & qui confert Beneficium propter munera data vel danda, illud vendit. Et verò tunc datur unum loco alterius. 6. Alias nemo subtilitatis Metaphysicæ peritus posset unquam simoniam admittere; aperireturque via latissima simoniæ.

Aliud est cum datur temporale per modum stipendii, sustentationis: nam datur in subsidium necessarium ad sustentationem personæ occupatae in gratiam dantis, & quæ interea actioni sibi quæstuosæ vacare non potest. Lex enim naturalis postulat, ut sustentatio, spectato personæ statu, suppeditetur ei, qui in alterius commodum occupatus est.

*Q. 3. Quotuplex est Simonia?*

*Resp.* Dividitur 1. In eam quæ est juris divini, & in eam quæ est juris humani. Prior est ea, quæ ideo prohibita est, quia mala est ex natura sua. Talis est emptio, vel venditio etiam virtualis rei, aut actionis Sacræ: nam recta ratio dictat rem Sacram indignè, ac irreverenter tractari hoc ipso, quod datur, vel accipitur pro re temporali æquiparatur facto, sicque deprimitur.